

## REGNUM MORTUORUM.

Nro. 57.

*Secretum litterarium Commertium inter Vivos  
et vita functos.*

Elysium-Meum, Die Veneris, 17. Aug. 1810. (Neov. 27. Julii, 1810.)

Qua ratione Imperans Civilis medio regimi-  
nis agit in Cives?

Ut potest et debet agere?

*Aliquæ Reflexiones.*

*Qualis Rex:*

*Talis Grex.*

**I**nsigne sapiensque Civile Imperium po-  
tentem actionem exerit in cogitandi sentien-  
dique rationem subditorum, ejus solertia,  
recti amor ordinis, Juris æstimatio, Culturæ  
promovendæ studium, cuius luculento ar-  
gumento sunt, ei commune bonum, publi-  
cam salutem, humani generis felicitatem cur-  
ræ cordique fore; ab omnibus eapropter ho-  
nor ei impenditur, exemplum ejus in sub-  
ditis diligentiam excitat, in augendis rerum  
cognitionibus, in consecratione virtutis &  
Justitiæ — subditi tipam regiminis præse-  
ferunt, plerique quippe homines, cum primis  
animi incorrupti, id quod continuo oculis  
usurpant, quod auditu percipiunt, adeo fa-  
miliare sibi reddunt, ut in suam & sangui-  
nem id suum convertant, eandem naturam

induant, exemplis potentiorum, quibus ambiunt, trahantur, abripiantur. —

Percurre, sis, quævis, singulari ac in oculos incidente Characterè insignia civilia imperia, & facile advertere licebit, ut parentes eorum imperio mentis Cultura & Industria procecerint, cur? quod imperantes liberales, justî & culti mente fuerint. —

Orbis terrarum, ait novissima Statistica, grandes conversiones pertulit. — Non termini Statuum, & nomina Regnorum, verum Leges fundamentales & privatæ, mores, opiniones, linguæ, quidquid unquam homini venerabile & sanctum erat, per genium edacem Sæculi conceptum & attractatum est; quæ etiam ratio est, quod ejus edacitatis Consectaria effectus in plurium sæculorum vices exerant. — O vere nihil perpetuitati obnititur! quidquid mortales struunt & ei confidunt. Nulla Babilon, nulla Græcia, nulla potens olim, hodie extat Macedonia — est seges ubi Troja fuit dominatus superbæ urbis corruit dominæ orbis — redigetur ad incitas opum dives Britannia, ut olim Romæ Carthago æmula.

Alacritatem animi plerorumque hominum absorbet semper potentia & præsentis articulus temporis tantopere: ut raro Consiliorum perspiciant excellentiam, qua ulla antecessanea legislatio aut sapiens politica Constitutio nitebatur, ut potius ad momentanea mala declinanda & ab iis se eximendum eum partim in vicem permutandum offerunt.

Sublimis simplexque primi Status auctoris conceptus menti eorum impervius redditur. — Opinio privata blanditur imbecillæ orationis genere & phrasi vulgari: „quod alias valere posset, hodiernæ lætæ non amplius applicabile, imo perniciosum fore!” — sic fit, ut formis suis excedat alacris animus; sic evenit: ut pedetentim ad pejora pressus promoveatur, inque vicem accusandæ insanæ hominum arguatur malitia temporis & incrementis ruinæ. —

Non eam medicinam adhibuit Lycurgus, non talem opem tulit Octavianus, non denique ea consilia inivit stator ille Francicæ Monarchiæ *Carolus M.* quodque perfectissimum esse videbatur, denique citius aut tardius *ruinam* & tumulum reperit.

Ita fit: ut vicissitudines hodiernas ea cum certitudine prospiciamus, qua ruinas Athenarum, Jerosolimarum, Palmiræ, quæ nos præcesserunt, contemplantur.

Diuturna felixque regnorum, soliorumque possessio, minus suorum Conditorum, quam prudentia dotibusque, qui eos in regimine exceperunt, pendat — quæ etiam ratio est, quod tunc adcommoda Coronæ hæredum educatio adeo gentium felicitatis intersit, atque regnantium domorum splendoris, ut vix præstantiæ hodiernarum politicarum Organizationum cedere valeat.

Ad rationes, novorum Bellorum novarum politicarum Conversionum, novarum vicissitudinum, viri educandi, et Imperantes in ple-

missio vocis sensu parandi sunt. Eorum duntaxat energia & alacritate animi tranquillitatem adferens vadimonium nititur continendi, aut custodiendi ejus, quod de presenti adhuc locum habet.

Coronæ hæres communiter eo contentus esse debet, quod ex superfluitate futurorum subditorum ejus sibi obveniet. Ejus gratia nullus Basedow, nullus Campe, aut Rousseau, nullus Pestalozzi, operam impendit. Telemachus Fenelonii vix ullum regis filium docendum Imperantem effecit. Ubivis autem Educatione Coronæ hæredis & institutio æquo cum educatione ejus subditorum passu incedere, æquiformi ratione progredi deberet, quam parum eximius Imperans eximia per rodes subditos facta edere valet, tam parum culta natio beata prædicari potest, cum præest Imperans absque robore, culturæ expertus alter alterius vires infringit — Uterque articulo communis periculi pereunt, disperunt. Exemplorum, quæ assertum illustrari possent, uter seges appetit.

Interea exigui politici rivi torrenti eximii sinis influunt, modica eventa adferentes, hinc & inde comparet, & se exhibet publicus Minister, dorso equi insidens (post Equitem atræ curæ) ostio torrentis quadrupedante ungula adproperans cum furore oceano illabentis. Oceanus Titanorum proclis non se ingerit, at Neptunus torvo vultu Græca munimenta pro Troja inuitus est. Hodie aquosa oratione & imperio eum conten-

tum oportet, — Contingente ei interdictum, aditu prohibitus exclusus est. — Ipse ejus filius monstrum immane horrens, cui lumen ademtum, Polyphemus monoculus opis ferendæ impos, quod remam coecitati crediderit — sed age, quæ Nova torrenti influant parumper dispiciamus:

*Parisiis 22. Julii.* Hesterno vespere Majestates 50. editioni Comici Musici dramatis interfuere. 1. pomerid. status Consilium celebrabatur sub præsidio Imperatoris. Noctem MM. in æde Tuilleriarum exegere. Hodie diplomaticus accessus ad Imperatorem.

*Argentorato 23. Julii.* Turmæ Hung. Præfectus P. ab Eszterházy comite Colonello D. a Sinzendorf cum Comœtatu Parisiis Vindobonam revertens isthac prætervectus est.

Ex tempore Commemorationis duorum Inspectorum Cas. Universitatis hac urbe, perniciendæ Organisationis Academiæ ergo, Professores ambarum neo erectarum Facultatum scientiarum & literaturæ prælectiones suas auspiciati sunt, exiguo auditorum numero — de præsentis hujus protestantica Academia (olim Argentorat. Univ.) eadem gaudet activitatis sphaera, Prælectionumque cursus admodum frequentantur. Ejus Cæsareo jam Decreto stabilita & probata perduratio nulli dubio subiacere videtur, cum alioquin secundum Educationis Systema Argentorati Theologica Protestans Facultas præsto esse & constabiliri debeat. — Aequè probabilis est Conjunctionio, nexusque quem cum Cæsa.

rea Universitate initura est, at tanto incertior hoc articulo temporis futura ejus amplorum prædiorum & redituum &c. destinatio.

*Diarium Politicorum Eventuum.*

Habentur Londini nuncia ex Hispania usque 18. Julii; obsidio Gadium nihil novi largitur, omnia in priore pede consistent ut sub Junii principium. Videtur operationibus militaribus æstus diurni vehementia nocturnaque fœdera officere & armistitium procurasse. —

Diaria ex Indiis Orient. isthic ad 21. Jan. pertingunt. — Classis quæ ea attulit Calendis ipsis Aprilis ex Promontorio B. spei vela dedit — aliquot ante abitum diebus armatus lembus adpulit in Sinum Mosambique per tres Gallicas Fregattas nuper ex Insula Franciæ egressas, actus — Galli in Ins. Madagascar Coloniam habent, in quam hæ naves navigationis egregie peritæ adpulere, novi Comæatus legendi gratia — Fregatta Boudica sola in promontorio Capitis substitit, reliquæ discurrerunt. Admiralis Bertie Fregatta memorata vestus regionem Insulæ Franciæ petiturus ferebatur, quasdam in hostem operationes tentaturus; Gen. Dux Wetherall opportunas fecit præparationes cum legione in Indias Orientales concedendi, Copiæ nostræ viribus sufficientibus destitutæ Ins. Bourbonia rursus decessere, seque ad Rodericum recepere; quam probabiliter faciliorem adversus Ins. Franciæ adgressionem reddendi Causa in nostram redegitur deditionem.

*Fœdus Rhenanum.*

*Cassela* 23. *Julii*. Aula obitus Coronæ Svevicæ Principis causa ludum induit.

Suæ Maj. Contractui sponsalitiò D. hæreditarii Principis a Salm, cum virgine Nobili a Hoffi subscripserunt.

*Monachio* 23. *Julii*. Nocte diem 22. præcedente hora 11. Suæ Maj. Regina Nimphopoli partu feliciter soluta est. Excelsa puerpera cum neonata infante optima fruitur valetudine, heri matutino tempore fragor tormentorum metropoli lætum indicabat hoc nuncium. (Uxor altera Regis est Friderica Wilhelmina Carolina Badensis M. D. filiana nata 13. *Julii* 1776. ex qua: filiæ Elis. Lud. & Amalia geminæ natæ 1801, & Sophia Dorothe. & Maria Anna æque geminæ A. 1805.) hodie prima pom. Solemnia Baptismi per cta, neonata Princeps nomen sortita: Maximiliana Carolina Josephina.

*Mannhemio* 27. *Julii*. Stativans ex medio Junii in hujate regione Cis & trans Necaram Cæsarea Gallica Equestris levis militis iussa Gallias repetendi accepit. 5. Huss. & 11 venat, legio reapæ jam hodie statione movit, iter Argentoratum versus iniens. Cras 12. venat, legio decellura.

*G a l l i a.*

Monitor refert de diplomatico, qui in palatio Tuiller, locum habuit, ad Imperatorem aditu. Legati Austriæ, Sveciæ, Westphaliæ & Princ. Primatis plures suarum nationum advenas præsentabant, Minister ext. ne

got. D. a. Cadore absente per continentiam  
adhuc valetudinem Rossico legato in cæteris  
Camerarium a Novosilzoff præsentavit, porro  
indicat adventum emeriti Regis Holl. ad Tô-  
pliz. thermas ex consilio Medicorum.

(Ex hominum memoria tot thermarum  
hospites in Boh. non erant ac hodie — mo-  
dicissimæ ædes iis repletæ sunt. Comites  
regis sunt D. a Bloys & B. a Jever.)

### *N e a p o l i s.*

Ex Germanis Helveticisque Cohortibus exer-  
citus Gen. Stuart desertores aliqui Castrorum  
in Calabriam parvulis in navigiis transfreta-  
runt ex Sicilia silente nocte — narrant: D.  
Stuart generalem Siculorum insurrectionem  
decrevisse, argumento: agmen suum hostili  
aggressioni elidendæ ei insufficientem videri.

### *T u r c i a.*

Heroicus & generosus Ottomanni Saracæ-  
norumque spiritus in iis penitus exolevit. Ex  
uno Sæculo duobus destituuntur Saladino &  
Soanderbego dignis — „dimicandum iis esset  
ad iussum Excell. Dom. Vestræ ac cæduntur”  
hæc scribebat Vergennes ad Ducem Choiseul;  
an hoc cum evidentia de hodiernis assevera-  
ri potest Turcis? —